



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma Bvllarii Earvmve Svmmorvm Pontificvm
Constitvtionvm Qvae Ad Commvnem Ecclesiae Vsvm post
volumina Iuris Canonici, vsq[ue] ad Sanctissimum D. N.
D. Pavlvn Papam V. emanarunt**

Quaranta, Stefano

Venetiis, 1619

G

urn:nbn:de:hbz:466:1-10793

quam sententiam ferre, quod assassini crimen commiserint, neque ad poenarū executionem devenire, nisi prius per superiores eorum adiuncto sibi loci episcopo, declaratum fuerit eos tale assassinium commisisse, non obstante quavis etiā antiquissima, & immemorabili consuetudine in contrarium forsan quomodo libet vrgente. Decernentes quoque sic in praemissis omnibus per quoscumque iudices, & commissarios ecclesiasticos & saeculares quavis etiam Imperiali, Regia, Ducali, aut alia auctoritate, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis & eorum cuiuslibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari & definiiri debere, ac irritum, & inane quicquid secus super his a quacunque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, etiam in corpore iuris clausis, nec non statutis legib. & consuetudinib. Privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis quibusvis huiusmodi curiis tribunalib. magistratib. & alijs supradictis eorumq. iudicijs, ac alijs superioribus, & personis sub quibuscunque tenonib. & formis, ac cum quibuscumque clausulis, & decretis in contrarium forsan quomodo libet concessis, confirmatis, & innovatis, quibuscumque etiam si de illis eorumq. totis tenonib. specialis, specifica & individua mentio facienda esset, illarum huiusmodi tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis alios in suo robore permanentis latissime hac vice specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque, volumus autem quod praesentium transumptis et impressis manu Notarii Publici subscriptis, & sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae manus eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur si forent exhibita, vel ostensa. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 18. Decembris 1595. Pontificatus nostri anno quarto.

M. Vestrius Barbianus.

Romae apud Impressores Camerales 1595.

De poenis contra assassinos est tex. in capit. 1. de homi. in 6. Diaz. in pract. crim. cano. in verbo per assassinos alios interfici mandantes. vbi Igna. Lopez. in additio. & nota Declarationem criminis assassinii contra personas ecclesiasticas ad iudicem ecclesiasticum de iure spectare, vide Iulium Clar. in pract. cri. q. 36. sub nume. 31. Capic. decis. 112. & 155. sub num. 25. Gram. voto 8. & 11. post. Doc. in d. c. 1. de homi. & dicuntur assassini etiam si promissio sit incerta Vinc. de Franc. decis. 176. quib. adde Menoch. de arbitra. iud. lib. 2. centur. 4. casu. 360. sub nu. 41. vbi multa ad intelligentiam, & declarationem, d. c. primi. de homi. & quando punitur affectus, effectus non sequitur.

GRAECORVM RITVS.

PRÆTER Summistas sciendum est, quod Graeci de iure communi sunt subiecti Episcopo Latino loci ordinario, in quo degunt. c. quod translatione, de tempo. ordin. facit tex. in c. quoniam, de offic. ord. & sacerdotes Graeci vtuntur legitimo matrimonio contracto in laicali habitu, vel dum erant in minorib. c. cum.

c. cum olim, de cler. coniug. c. quæsitum. de pen. & rem. ibi gl. mores tamen ac ritus Græcorum tolerandi non sunt, in his quæ periculum generant animarum, & ecclesiasticæ derogant honestati. c. fin. de baptismo. Et de reformatione Græcorum, eorumque erroribus tollendis, fuerunt nuper Romæ editæ Constitutiones tenoris seq.

Perbreuis instructio super aliquibus ritibus Græcorum ad Reuerendissimos Patres DD. Episcopos Latinos, quorum ciuitatibus, vel diocæsiibus Græci, vel Albanenses Græco ritu viuentes degunt, ac litera quædam Apostolica ad ipsos Græcos, & eorum ritus pertinentes, nec non firma professionis Fidei orthodoxæ a Græcis ad vnitatem S. R. E. venientibus faciendæ, Mandato Sanctiss. D. N. D. Clementis Papæ VIII. simul excusæ Romæ apud Impressores Camerales Anno Domini. 1597.

Circa Sacramentum Baptismi.

Presbyteri Græci baptizatos chrismate in fronte non consignent, & ideo ad ipsos in ordine baptismi apud eorum eucharistologium præmittantur, quæ sequuntur post illa verba καὶ μετὰ τὴν εὐχὴν & c. vsque ibi εἰς τὰ ποιεῖς ἡμεῖς οὐκ ἔχομεν hoc est & post orationem & c. (vbi habetur forma huius consignationis) vsque ad verba: postea facit sacerdos figuram circuli & c.

Circa Sacramentum Confirmationis.

Episcopi Latini infantes, seu alios baptizatos a presbyteris Græcis de facto chrismate in fronte consignatos confirmant, & tutius videtur, vt cum cautela & sub conditione ad faciant (videlicet si es confirmatus, ego te non confirmo, sed si non es confirmatus, ego consigno te! signo crucis † & confirmo te chrismate salutis † in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti) præsertim vero cum verisimiliter dubitari potest, quod ab episcopis Græcis fuerint baptizati.

Circa Sacramentum Eucharistiæ.

Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum quod pro infirmis asseruatur, singulis octo diebus, aut saltem quindecim renouetur.

Non asseruetur idem sacramentum toto anno, si tamen asseruatum fuerit, saltem in fine anni sumatur.

Tollatur abusus tundendi, vel etiam miscendi sacro oleo, ac iterum coquendi, vel alias exsiccandi species Sacramenti sacre Eucharistiæ feria quinta Cænæ Domini, vt deinde illud asseruent.

Si Græci velint accipere altaria portatilia ab Episcopis Latinis consecrata bene erit, sin minus tolerantur eorum thioni, siue throni super altaria lapidea poni cum celebrant.

Corporalia vti Latini habeant nisi thionis etiam pro corporalibus vtantur.

Circa Sacramentum Penitentia.

In casu necessitatis presbyteri Græci Catholici possint Latinos absolueret. Vtantur forma absolutionis in generali Concilio Florentino præscripta, & po.

& postea si voluerint, dicant orationem illam deprecatiuam, quam pro forma huiusmodi absolutionis dicere tantum consueuerunt.

Tollendus abusus, ubi est, vt vir atque vxor simul, & eodem tempore eidem presbytero confiteantur.

Aqua ex ritu Græco in die Epiphania, vel primo die mensis benedicta, conseruetur in ecclesia, vt illa fideles aspergantur. Circa oleum Sanctum Catechumenorum, & Infirmorum.

Non sunt cogendi presbyteri Græci olea sancta, præter Chrisma ab episcopis Latinis Diœcesanis accipere, cum huiusmodi olea ab eis in ipsa oleorum, & sacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur, seu benedicantur. Chrisma autem, quod non nisi ab episcopo etiam iuxta eorum ritum benedici potest, cogantur accipere. Prohibeantur vero ab episcopis Græcis externis schismaticis, seu Sanctæ Romanæ Ecclesiæ communionem non habentibus illud accipere, vel eo uti.

Circa Sacramentum Ordinis.

Ordinati ab episcopis schismaticis, alias rite ordinatis seruata debita forma, recipiunt quidem ordinem, sed non executionem.

Proinde ordinati ab episcopis schismaticis, correcti vel emendati reconciliandi sunt, & absoluedi cum penitentis salutaribus, dummodo errores, vel saltem schisma ordinatoris abiuret in iudicio, vel publice, vel secreto pro qualitate facti. In ordinibus autem per eos alias rite susceptis ministrare non permittantur, nisi cum ipsis super irregularitate huiusmodi occasione contracta auctoritate Sanctæ Sedis Apostolicæ fuerit dispensatum.

Non sunt admittendi episcopi schismatici siue pro ordinibus siue pro aliis sacramentis conferendis, sed detinendi quo ad Sancta Sedes Apostolica desuper consulatur, & responsum habeatur.

Græci sine literis dimissorijs episcopi Latini Diœcesani ad sacros ordines promoti, suspensi sunt, & si suspensi suis ordinibus ministrauerint, efficiuntur irregulares, sicut & Latini.

Super huiusmodi autem & similibus irregularitatibus dispensandi facultatē a Sancta Sede Apostolica obtineri oportet.

Si episcopus Latinus Græcum aliquem ordinare voluerit, qui a presbytero Græco in Baptismo Chrismate in fronte de facto fuerit consignatus, debet illum antea confirmare, saltem sub conditione, videlicet Nisi es confirmatus &c. vt supra. Presbyteri vidui, seu vxoribus orbat, habitum deferant diuersum ab alijs.

Circa Sacramentum Matrimonij.

Curent ordinarij locorum, vt decretum Sacri Generalis Concil. Tridentini de reformatione matrimonij, vertatur in linguam Græcam vulgarem, & in locis & parochijs Græcorum, Albanensium euulgetur, & publicetur.

Matrimonia inter coniuges Græcos ditimi, seu diuortia quo ad vinculum fieri nullo modo permittant, aut patiantur, & si qua de facto processerunt, nulla & irrita declarent.

Maritus Latinus, vxoris Græcæ ritum non sequatur,
Latina vxor non sequatur ritum mariti Græci.

Græca

Græca vero vxor sequitur ritum mariti Latini.

Quod si id fieri non possit quisque coniugum in suo ritu,

Catholico tamen, manere permittatur.

Proles sequatur patris ritum, nisi præualuerit mater Latina. Presbyter Græcus coniugatus ante Sacrum Sacrificium, seu Sanctam Missam celebrandam, vel per hebdomadam, vel per triduum abstineat ab vxore.

Circa alia dogmata.

Græci credere tenentur, etiam a filio Spiritum Sanctum procedere, sed non tenentur pronunciare, nisi subesset scandalum, præsertim si degant inter Latinos, aut necessitas pultularet confitendi fidem catholicam, quia tunc oporteret etiam pronunciare.

Nunquam monachis Græcis, seu Calogeris animarum cura committatur, nisi ex necessitate, vel alia iusta causa.

Presbyteri seculares Græci abiuratis schismate, & erroribus, atque in fide Catholica bene instructi in parochialibus, seu curatis ecclesijs, Græcorum institui possunt.

Tolerandus est apud Græcos vsus carniū die Sabbathi, vbi sine scandalo fieri potest, in locis tamen ipsorum, & inter eos tantum.

Item tolerandum est, vt ad ieiunium eodem die Sabbathi in Quadragesima excepto vno Sabbato Sancto, ex antiqua traditione non teneantur, sed duntaxat abstinentiam.

In ieiunijs biduanis, vel triduanis, vel alias a Diœcesanis, vel in Iubilæis a Summo Romano Pontifice indictis, dies Sabbathi in eis comprehensus, vel præscriptus in alium diem pro plebibus Græcis ab ipsius Diœcesanis, Apostolica auctoritate Sanctissimi D. N. D. Clementis diuina prouidentia Papæ VIII, permittitur commutari.

Si ipsi Græci ad obseruationem ieiuniorum, & vigiliarum Latinæ ecclesiæ induci possent, opimum esset, sed non cogantur, cum ipsi qualibet hebdomada, & feria quarta & sexta ieiunent.

Græci existentes inter Latinos, dies festos de præcepto eiusdem Latinæ Ecclesiæ seruare teneantur.

Insuper idem Sanctissimus Dominus noster constituit Romæ habendum esse Episcopum Græcum Catholicum, qui Græcos Episcopis Latinis Italia, & Insularum adiacentium subiectos, ab Episcopo Græco ordinari volentes, cum illorum dimissionis, ad id tantum concedendis, ritu Græco ordinet.

Item mandauit, vt ad maiorem instructionem Dominorum Episcoporum Latinorum, imprimantur cum hac ipsa Decretales, seu literæ quædam Apostolicæ ad Græcorum ritus pertinentes: ac etiam professio orthodoxæ fidei, a Græcis, qui ad vnitatem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ veniunt, facienda.

Ita Sanctitas Sua ex sententia Congregationis super reformatione Græcorum decreuit, & declarauit, ac fieri mandauit Romæ in Palatio Montis Quirinalis, apud Sanctum Marcum die 31. Mensis Augusti, Anno Domini 1595. Pontificatus sui Anno Quarto. Iul. Ant. Card. S. Seuerinæ.

INNOCENTII PAPÆ VIII. Bulla, seu Literæ ad Episcopum Tusculan. Apostolicæ Sedis Legatum in Regno Cypri, quæ extant in eius Regeſto Bul- larum Pontificatus sui anno 11. apud Bibliothecam Vaticanam. Super Ritibus Græcorum, qui tolerari, vel non tolerari poſſunt.

Innocentius &c. Episcopo Tusculano Apostolicæ Sedis Legato.

SVB Catholica professione fidei, atque cultu consistere, ac proficere vniuersos ceteris nostræ mentis desiderabilibus præferentes, illud tanquam acceptabilius pleniori desiderio cupimus, & ad hoc velut operatiuum salutis præcipuum intimis affectibus anxius aspiramus. Hæc inquam vno, siue connexio cordi nostro inestimabilis gaudii rorem infunderet, si varias gentium nationes eiusdem obseruantia fidei in vnum acceptabilem in Christo populum adunaret. Id utiq; anxie nostræ mentis ardorem affluenti læritia refrigeraret irriguo, si omnes, quos olim in vnum catholicum gregem ouile collegit Domini, cum multi ab eo discesserint, in idem individuum Collegium vnus pastoris solidaret magisteriũ, & custodia communiret. O si Orientalibus Oriens ex alto luceret, & sui luminis illustratione ipsos ad Catholicam reduceret vnitatem, vt cum reliquis orthodoxis in vnus aulae collecti gremio, de matris Ecclesiæ vberibus fluentia doctrinæ salutatis haurirent, tunc ipsi Ecclesiæ proueniret magnum, & desiderabile salutare: tunc eius vterus sobole geminata concreſceret, tunc Orientalibus oriretur supernæ illuminationis aurora, tunc eis claresceret lucifer veritatis; tunc per vniuersam ecclesiam inundantis gaudij erumperet plenitudo; tunc exultatione nimia claresceret totus orbis, quia valde bonum, & iucundum existeret fratres simul in domo Domini habitare, tunc eadem ecclesia multiplicata lætitia nouæ iucunditatis canticum personaret. Verum quia nonnulli Græcorum iam dudum ad deuotionem Sedis Apostolicæ redeuntes ei reuerenter obediunt, & intendunt, licet expedit, vt mores ac ritus eorum quantum cum Deo possumus tolerantes, ipsos in Ecclesiæ Romanæ obedientia præferemus: quamquam in his, quæ animarum periculũ parent, vel honestati Ecclesiasticæ derogarent, nec debeamus illis deserte aliquatenus, nec velimus. Sane inter Ven. Fratrem nostrum Archiepiscopum Nicolien. & eius suffraganeos Latinos ex parte vna, & Episcopos Græcos Regni Cypri ex altera, de quibusdam certis articulis, discordiam, & turbationem fore subortam, & eorundem tenorem articulorum, ac responsiones ipsorum Græcorum ad illos, nobis, vt melius possemus instrui super eis, plene, ac prouide per tuas literas intimasti, sollicitè requirendo, vt prouidere super hoc Apostolicæ diligentia curarem. Nos autem literis ipsis affectuose receptis, earum seriem, & ipsos articulos, ac responsiones easdem, & cetera, quæ continebantur in illis, vna cum Fratrib. nostris perlegimus, intelleximus diligenter, prudentiam tuam multipliciter in Domino commendantes, & meditantes, ac deliberantes super his,

1. prout rei qualitas exigebat. Circa hæc itaque sic deliberatio nostra resedit, vt Græci eiusdem Regni in vnctionibus, quæ circa baptismum fiunt, morem Ecclesiæ Romanæ teneant, & obseruent. Ritus vero seu consuetudo, quam habere dicuntur vngendi per totum baptizandorum corpora, si tolli sine scandalo, vel remoueri non potest, cum siue fiat, siue non, quantum ad baptismi efficaciam, vel effectum non
2. multum referat, tolleretur. Nec refert est vtrum in frigida, vel calida aqua baptizentur,
3. cum paræ vim, & effectum in utraq; baptismum habere asseuerare dicantur. Soli au-

tem.

rem Episcopi configuent chrismate in frontibus baptizatos, quia huius vnctio
 non debet, nisi per Episcopos exhiberi: quoniam soli Apostoli, quorum vices ge-
 runt Episcopi per manus impositionem quam confirmatio, vel frontis chrisma-
 tio repræsentat Spiritum Sanctum tribuisse leguntur. Singuli quoque Episcopi
 5 in suis ecclesiis in die Cænæ Domini possunt secundum formam Ecclesiæ Chris-
 ma conficere ex balsamo quidem & oleo oliuarum. Nam Spiritus Sancti donū
 in Chrismati vnctione confertur: Et columba vtique, quæ ipsum designat Spi-
 ritum, olivæ ramum ad archam legitur retulisse: sed si suam antiquum ritum in
 hoc Græci potius servare voluerint, videlicet quod Patriarcha vna cum Archie-
 piscopis & Episcopis eius suffraganeis, & Archiepiscopi cum suffraganeis suis si-
 mul Chisma conficiant in tali eorum consuetudine tolerantur. Nullis autem
 6 per Sacerdotes; vel Confessores pro satisfactione penitentia vnctio aliqua so-
 lummodo iniungatur. Infirmis vero iuxta verbum Iacobi Apostoli, vnctio exhi-
 7 beatur extrema. Porro in appositione aquæ, siue frigida, siue calida, vel tepida in
 8 altaris sacrificio, suam si velint consuetudinem Græci sequantur, dummodo cre-
 9 dant, & asserant, quod servata Canonis forma conficiatur pariter de vtraque.
 Sed Eucharistiam in die Cænæ Domini consecratam, vsque ad annum, prætextu
 infirmorum, vt de illa videlicet ipsos communicent, non referunt, liceat tamen
 eis pro infirmis ipsis corpus Christi conficere, ac per quindecim dies, & non lon-
 giori temporis spacio conservare, ne per diuturnam ipsius reservationem, altera-
 tis forsitan speciebus, reddatur minus habile ad sumendum, licet veritas & effi-
 cacia semper eadem omnino remaneat, nec vlla vnquā a diuturnitate, seu volu-
 10 bilitate temporis evanescat. In celebratione vero solæniū, & aliarum Missarū,
 & de hora celebrandi eas, dummodo in confectioe, vel consecratione formam
 verborum a Domino expressam, & traditam observent, & celebrādo non tran-
 11 grediantur horam nonam, suam sequi consuetudinem permittantur. Sacerdo-
 tes autem dicant horas canonicas more suo, sed Missam celebrare, prius quam
 12 officium matutinale compleverint, non præsumant. Promouendi vero ad Sa-
 cerdotium & presbyteri, qui præficiendi fuerint Ecclesiarum regimini, examin-
 entur antea diligenter, præcipue de horis canonicis, & Missarum officiis, secundū
 13 distinctionem temporum exequendis, sint sufficienter instructi, vt ad hæc non
 argenteo solum, aut saltem stæneo calice sacrificet, habens corporale de lino can-
 14 didum & nitidum, & altare mundis vestimentis opertum, vel decentibus para-
 15 mentis. Mulieres autem servire ad altare non audeant, sed ab illius ministerio
 repellantur omnino. De ieiunio vero diei Sabbati Quadragesimali tempore,
 quamquam honestius, & salubrius, Græci agerēt, si sic toto illo tempore abstinerent
 vt nec vnico die institutum ieiunium violarent, teneant, & seruent prohibito
 16 morem suū. Sacerdotes quoq; coniugati, & alij quib; parochiarum cura, vel ec-
 clesiarum parochialium regimen per episcopos suos committitur, licite, ac libere pos-
 sint parochianorum suorum confessiones audire, ipsisque penitentiam iniungere
 pro peccatis; quia cui licet, vel conceditur quod est maius, competit nimirū, nec
 negari euenit quod est minus liberum tamen sit ipsis Episcopis viros alios ido-
 17 nitatis coadiutores, & cooperatores habere in audiendis confessionibus, & pen-
 nitentiis iniungendis, ac ceteris quæ ad salutem pertinent animarum. Ipsi quoque
 in his per eorum dioceses absq; Sacerdotū ipsorum præiudicio, & grauamine com-
 mittere vices suas, cum propter occupationes multiplices, & occasiones varias
 possit contingere, quod nequeat per easdem dioceses officium suum exequi per
 18 fe

18 se ipsos. De fornicatione autem quam solutus cum soluta committit, quò sit
 mortale peccatum, non est aliquatenus ambigendum, cum tam fornicarios, quàm
 adulteros a regno Dei Apostolus asserat alienos. Ad hæc volumus, & expresse præ
 19 cipimus, quod episcopi Græci septem ordines secundum morem Ecclesiæ Roma
 næ de cetero conferant, cum huc vsque tres de minoribus circa ordinandos ne
 glexisse vel prætermisisse dicantur. Illi tamen qui iam sunt taliter ordinati per
 eos, propter nimiam ipsorum multitudinem, in sic susceptis ordinibus toleren-
 20 tur. Quia vero, secundum Apostolum, mulier mortuo viro ab ipsius est lege solu
 ta, vt nubedi cui vult in Domino liberam habeat facultatem, secundas & tertias,
 ac vltiores etiam nuptias Græci non reprehendant aliquatenus, nec condem-
 nent, sed potius illas approbent inter personas, quæ alias licite ad inuicem ma-
 trimonio iungi possunt.

21 Secundo tamen nubentes presbyteri nullatenus benedicant. Et quoniam apud
 22 eos consueverunt contrahi matrimonia inter personas contingentes se iuxta
 eorum computationem octauo gradu, qui secundum computationem, & di-
 stinctionem graduum, quam nos facimus, apud nos quartus habetur, ne id præ-
 sumatur deinceps firmiter prohibemus: districte præcipientes, vt cum in vltio-
 ribus gradibus licite matrimonia contrahantur, in prædicto quarto consanguini-
 tatis, vel affinitatis gradu copulari vltius non præsumant, statim in hoc gene-
 23 runt, dispensatiue permittimus in sic contracto matrimonio remanere. Deni-
 que cum veritas in Euangelio asserat, quod si quis in Spiritum Sanctum blas-
 phemiata dixerit, neque in hoc sæculo, neque in futuro dimittetur ei: per quod
 datur intelligi quasdam culpas in præsentibus, quasdam vero in futuro posse sæculo
 relaxari, & Apostolus dicat, quod vnusquisque opus, quale sit, ignis probabit,
 & cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen qua-
 si per ignem, & ipsi Græci vere, ac indubitanter credere, ac affirmare dicantur, ani-
 mas illorum, qui suscepta penitentia, ea non peracta, vel qui sine mortali pecca-
 to, cum venialibus tamen, & minutis decedunt, purgati post mortem, & posse suf-
 fragijs Ecclesiæ adiuuari. Nos, quia locum purgationis huiusmodi dicunt non
 fuisse sibi ab eorum Doctoribus certo, & proprio nomine iudicatum quidem iux-
 ta traditiones, & auctoritates Sanctorum patrum Purgatorium nominantes,
 volumus quod de cetero apud ipsos isto nomine appelletur, illo enim transito-
 rio igne peccata utique, non tamen criminalia, seu capitalia, quæ prius per
 penitentiam non fuerint remissa, sed parua, & minuta purgantur, quæ post mor-
 24 tem etiam grauant, si in vita non fuerint relaxata. Si quis autem absque peniten-
 tia in peccato mortali decedit, hic procul dubio æternæ gehennæ ardoribus per-
 25 petuo cruciatur. Animæ vero paruulorum, post baptismi lauacrum, & adultor-
 um etiam in charitate decedentium, qui nec peccato, nec ad satisfactionem ali-
 26 quam pro ipso tenentur, ad patriam protinus transfuolant sempiternam. Ordina-
 tiones demum, & instituta regularia Sanctorum patrum de vita, & statu Mo-
 nachorum præcipimus ab Abbatibus, & Monachis Græcis inuolabiliter obser-
 uari. Fraternitatem itaque tuam hortamur attente, per Apostolica tibi scripta
 mandantes, quatenus præmissa omnia Episcopis Græcis præfati Regni seriatim,
 & diligenter exponi facias, districte ipsis iniungens, vt ea sollicite attendere, stu-
 diose tenere, ac efficaciter procurent, & a suis faciant subditis obseruari. Memo-
 moratis autem Archiepiscopo Nicosien. & eius suffraganeis Latinis firmiter au-
 thoritate nostra præcipias, vt eosdem Græcos super præmissis contra huiusmodi
 prohi-

prouisionem, & deliberationem nostram non inquietent aliquatenus, nec molestent. Contradictores eadem auctoritate, appellacione postposita, compescendo. Non obstantibus si praedictis Archiepiscopo, & suffraganeis, vel quibuscunque aliis a Sede Apostolica sit indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari, non possint per literas Apostolicas plenam, & expressam ac de verbo ad verbum non facientes de indulto huiusmodi mentionem, Datum Laterani. Non. Martii. Anno 17.

LITERÆ PII PAPÆ IIII. In forma Breuis per quas Ecclesia Graecorum, earumque Prælati, & administratores uisitationi, ac superioritati Ordinariorum subiiciuntur.

Pius Papa Quartus, Ad futuram rei memoriam.

ROMANVS Pontifex præcipuus aequitatis, & religionis assertor, facultates, & gratias ab Apostolica Sede concessas, ex quibus tempore procedente animarum pericula, & inter Catholicos scandala provenire animaduertit, pro sui pastoralis officii debito maturere uo care cõsuevit. Sane nonnulli locorũ ordinariũ nuper ad audientiã nostram referri curarũt, quod in quampluribus Regni Siciliae citra & ultra Pharam, & aliis Christiani nominis Ciuitatibus, & locis magna Graecorum, tam Religiosorum & saecularium clericorum, quam laicorum multitudo reperitur, qui Ecclesiae Graecae mores, & ritus obseruantes, seque suos proprios eiusdem nationis Prælatos habere, ac illis, non autem locorum ordinarijs subesse, sed immunitatum, aliorumque priuilegiorum sibi per fel. rec. Leonem X. Paulum III. Iulium etiam III. & forsã filios Ro. Pont. prædecessores nostros, & dictam Sedem antiquitus concessorum prætextu, se ab eorundem ordinariorũ iurisdictione, & superioritate exemptos esse prætendentes, impunitate sibi propozita, in diuersas hæreses, nefariasque opinionones, & absurda deliramenta passim prolabantur, asserentes inter alias eorum blasphemias nullum esse defunctorum Purgatorium, Rom. Pontif. aliquam in eos iurisdictionem, vel auctoritatem habere negantes, indulgentias ab illo concessas damnantes, Ecclesiasticas sententias & censuras ab eo latis spernentes, Sanctissimæ Dei Genetricis Virginis Mariæ, Beatorum Apostolorum, & aliorum Dei Sanctorum festiuitates ab Ecclesia Romana, sanctisque Patribus ordinatas non obseruantes, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum suis infantibus in baptismo exhibentes, inhumata defunctorum cadauera superstitione quadam impia, & plusquam barbarica e sepulchris eruentes, igneque comburentes: Ordinariorum locorum, quos habitant, uisitationem, iurisdictionemque contemnentes, & ecclesiasticam disciplinam perturbantes, ac demum huiusmodi alijsque suis opinionibus erroneis atque sacrilegis, populos Latinos inficientes, correctionem legitimam suæ præsentis exemptionis clypeo repellentes, in suis impietatibus abutibusque consenscunt, & immoriuntur, & in suarum uiciniarumque populorum, præsertim simplicium, animarum perniciem, & scandalum plurimorum. Nos igitur prouide considerãtes, eiusdem Sedis intentionem nunquam fuisse exemptionem aliudue priuilegium a se concessum iri, ut inde scelerum impunitas, & animarum periculum emergat, abutibus, & periculis huiusmodi, quantum eum Deo possumus, tempestiue obuiare uolentes, ac quarumcunque exemptionum, aliorumque

aliorumque privilegiorum dictis Græcis, eorumque Prælati, Rectoribus, Abbatibus, & alijs, tam Sancti Basilij, & alterius ordinis regularibus, quam secularibus, ac etiam laicis personis quocumque nomine nuncupatis, per præfatos, & alios quoscunq; Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, & Sedem præfatam in specie hæcenus concessorum, ac etiam iteratis vicibus approbatorum, & inuocatorum, literarumque desuper confectarum, & inde secutorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, Motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine omnēs, & singulas exēptionēs, ac prout illas concernunt, desuper confectas literas præfatas, ad hoc videlicet vt ipsi locorum ordinarij quascunq; Græcorum Ecclesias, Monasteria, Prioratus, & alia pia locastam secularia, quam cuiusvis ordinis regularia, eorumque Prælatos, etiam si Episcopali, Archiepiscopali, ac maiori dignitate præfulgeant, nec non Abbates, Rectores, ministros, & quascunq; alias eiusdem nationis personas in suis ciuitatibus, & dioc. consistentijs, quoties opus fuerit, visitare, ac in illis suam ordinariam iurisdictionem, plenamque, & omnimodam superioritatem in ijs, quæ Dei cultū, Sacramentorum administrationem, & animarum salutem, hæresumque extirpationem concernunt, exercere, & exequi libere, & licite valeant, reliquis ipsorum Græcorum in diuinis celebrandis, alijsque ritibus a Sede Apostolica approbatis, nec non privilegijs, & gratijs Apostolicis intactis remanentibus, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo reuocamus, cassamus, & annullamus ac reuocatas, cassatas, & annullatas esse, nec ipsis Græcis clericis, vel laicis, eorumque Prælati, ecclesijs, Cœnobijs, aut alijs pijs locis in aliquo suffragari, sed illos omnes, & singulos locorum, in quibus moram traxerint, Ordinarij visitationi, correctioni, punitioni iurisdictioni, & omnimodæ superioritati in præmissis subesse, illisque tanquam superioribus suis suarumque animarum pastoralibus humiliter obedire, & per quoscunq; Iudices, & Commissarios quauis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales sublata eis quauis aliter iudicandi facultate iudicari, & desiniri debere, ac quicquid secus a quoquam quauis auctoritate sceler, vel ignoranter attentati contigerit, irritum, & inane decernimus. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis ceterisque contrarijs quibuscunq; Per hoc tamen non intendimus, quod ipsi Græci ab eorum Græcanico ritu abstrahantur, vel alias desuper quoquomodo per locorum ordinarios, aut alios impediatur. Et quid difficile foret præsentibus ad diuersa loca, in quibus illarum exhibitio forsan erit necessaria, circumferri, volumus, & eadem auctoritate similiter decernimus, quod earūdem præsentium transumptis etiam impressis, Notarii publici manu subscriptis, & personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ sigillo signatis, plenaria, & indubia, eaque prorsus adhibeatur fides in iudicio, & extra, quæ præsentibus adhiberi debet, si forent exhibitæ, uel ostensæ. Dat. Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 16. Febr. 1564. Pontificatus nostri, Anno Quinto.

Ca. Glorierius,

Anno a Natiuitate Domini, Miilefimo quingentesimo sexagesimo sexto, Indictione nona die vero tertia Octobr. Pontificatus Sanctiss. D. N. D. Pii diuina providentia Papæ V. anno primo. Retroscriptę literę affixę, lectę, & publicatę fuerunt in valuis Principis Apostolorum de Vrbe, & Cancellaria Apostolicę, & Acie Cæpi Florę, per me Io. Freile, prælibati S. D. N. Papę Curforem.

Nicolaus de Matthæis Mag. Curf.

Z

B V L I A

BVLLA SANCTÆ REC. PII PAPÆ V. Reuocationis, licentiarum Græcis Latino more, & Latinis Græco ritu Missas, ac alia diuina officia celebrandi hæctenus concessarum.

Pius Episcopus seruus seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

PROVIDENTIA Romani Pontificis plurimum circumspècta, nonnumquam ea quæ suadentib, causis per eius prædecessores gesta sunt, ex alijs non minus rationalibus causis alterat, & ad pristinam statum reducit, prout æquitas suadet, & in domino conspicit expedire. Sane cum ad notitiam nostram perueniret, quod nonnulli presbyteri tam Græci, quam Latini antiquum S. R. E. ritum tam in celebratione Missarum, quam aliorum diuinorum officiorum pervertere satagentes, diuersas licentias, & facultates, Missas, & alia diuina officia Græci Latino more, ac Latini græco ritu celebrandi ab Apostolica Sede, vel eius Legatis, ac etiam maiore Penitentiario pro tempore existente varij prætextibus impetrarunt, illisque iam pridem vtuntur, hoc ab antiquo Catholice Ecclesiæ instituto, Sanctorumque patrum decretis deuiare considerantes, propterea hunc ab usum ac Ecclesia Dei extirpantes, & submouere volentes, omnes, & singulas licentias, & facultates huiusmodi hæctenus etiam Motu proprio, vel quorumuis etiam Imperatorum, Regum, & aliorum Principum contemplatione, & quibusuis causis quomodolibet concessas, ac Apostolicas, & alias literas desuper cõfectas, illarum omnium tenores pro sufficienter expressis habentes, Apostolica auctoritate ex certa scientia hac præsentis nostræ perpetuo valitura constitutione reuocamus, callamus, annullamus, & irritamus, quibusuis presbyteris tam Græcis, quam Latinis in virtute sanctæ obedientiæ, & sub indignationis nostræ, ac perpetuæ suspensionis a diuinis pœnis districtius inhibentes, ne deinceps presbyteri Græci præcipue vxorati Latino more, & Latini græco ritu huiusmodi licentiarum, & facultatum, aut alio quouis prætextu Missas, & alia diuina officia celebrare, vel celebrari facere præsumant. Mandantes in virtute sanctæ obedientiæ omnibus, & singulis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis, quatenus in Ciuitatibus, & diocesis, propriis præsentibus nostras literas publicari, & sub prædictis, & aliis sibi bene uisis pœnis per quoscumque Prælatos, Capitula, Clericos, Fratres, Superiores, & personas quaslibet inuiolabiliter obseruari faciant, Contradictores quoslibet auctoritate Apostolica compescendo. Non obstantibus præmissis, ac quibusuis Cõstitutioibus, & ordinationibus Apostolicis, nec nõ Ecclesiarum, Monasteriorum, Conuentuum, Domorum, & aliorum locorum quorumcunque etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roborati, statutis, consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & literis Apostolicis, eisdem Ecclesijs, Monasterijs, Domibus, & locis, illorũque Capitulis, Conuentibus, Superioribus, & personis, ac ordinibus sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatorijs derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus, & alijs decretis etiam ad Imperatorum, Regum, Reginarum, Ducum, & aliorum Principum instantiam, aut eorum contemplatione, etiam Motu proprio, & certa scientia, ac alias quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus.

nibus, illorum tenores pro expressis habentes, specialiter & expresse derogamus, illaque, quo ad praemissa cassamus penitus, & annullamus; ceterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem quod praesentes literae ad Valuas Beati Petri Apostolorum Principis, & Cancellariae nostrae, ac in acie Campi Florae publicentur, & inter Constitutiones extraneas perpetuo valituras conscribantur. Et quia difficile foret praesentes ad singula quaeque loca deferri, volumus & etiam declaramus, quod earum transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarii subscrip- tis, ac sigillo alicuius Praelati munitis, eadem prorsus fides ubique adhibea- tur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensa. Nulli ergo om- nino hominum liceat hanc paginam nostrae reuocationis, cassationis, annulla- tionis, irritationis, mandati, inhibitionis, derogationis, & voluntatis infringere, ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare praesumpserit, indigna- tionem omnipotentis, Dei ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se no- uerit incursum. Datum Romae apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicae, Millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, tertio decimo. Kalen- Septemb, Pontificatus nostri Anno Primo.

Cæ. Glorietius.

H. Cumyn.

Anno a Natiuitate Domini, Millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, in- dictione nona, die vero Veneris, vigesima mensis Septemb. Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Pii diuina prouidentia Papae Quinti, Anno eius primo, praesentes infra scriptae literae affixae, & publicatae fuerunt ad Valuas Basilicae Principis Apostolorum de Vrbe, ac Cancellariae Apostolicae, & in acie Campi Florae, per nos Bartholomaeum Sotto casa, & Io. Andream Roge- rium, praefati Sancti, D. N. Papae Cursores.

Nicolaus de Matthis Mag. Curforum.

DECRETA S. INNOC. PAPAE I. ET INNOC. PAPAE III.
 Ut Sacramentum Confirmationis, baptizatis, non nisi a solis Pontificibus admi- nistraretur. Et licet in eis de Graecis nominatum non dicatur, de ipsis tamen expresse traditur supra in literis Innocentii Papae IV. S. Soli autem Episcopi. Ac quae il- lis suffragantur.

Decreta generalia Concil. Florentini, & Tridentini.

DECRETVM S. INNOCENTII. PAPAE I. In Epistola prima seu regulari ad Decentium Episcopum Eugubinum, cap. 7. Tomo I. Conciliorum, ut baptizati non debeant nisi a solis Episcopis chrismate consignari, ubi ita re- scripsit.

INNOCENTIVS, &c. De consignandis vero infantibus, manifestum est non ab alio, quam ab Episcopo fieri licere. Nam presbyteri licet sint Sa- cerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent. Hac autem Pontificibus solis debet, ut vel consignent, vel paracletum spiritum tradant, non solum consuetudo

Z 2 Eccle-

Ecclesiastica demonstrat, verum & illa lectio Actuum Apostolorum, quæ asserit Petrum, & Ioannē esse directos, qui iam baptizatis traderent Spiritum Sanctum. Nam presbyteris, seu extra Episcopum, seu presente Episcopo baptizant, chrismate baptizatos ungerere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum; non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cum tradunt spiritum paraclatum. Verba vero dicere non possunt, ne magis prodere videatur, quam ad consultationem respondere.

Et hoc quidem decretum refertur a S. Isidoro de Ecclesiasticis officiis, cap. 26. & ultimo, & Albino Alcuino in libro de diuinis officiis, cap. de Sabbato Sancti Paschæ, & Beda in acta Apostolorum, cap. 8. Tomo 5. & ab aliis scriptoribus Ecclesiasticis. Cuius etiā pars habetur apud Gratianum, de consecrat. distinct. 4. cap. Presbyteris, ac etiā apud Sacrum Concilium Florentinum in Bulla instructionis Armenorum, §. secundum Sacramentum est, proxime citando.

INNOCENTII PAPÆ III. Litera ad L. Vicarium suum apud Constantinopolim, quæ habentur libro 2. primi Tomi, eius regesti, impressi, fol. 398. & posita sunt in compilatione Decretalium lib. 1. titul. 4. de consuetudine, c. Quanto.

L. Vicatio nostro apud Constantinopolim.

INNOCENTIVS, &c. Quanto de benignitate Sedis Apostolicæ locum obtines celsiorem, tanto tibi est sollicitus procurandum, vt te talem exhibeas in agendis, non declinans ad dexteram, vel ad sinistram, quod non minus te quam nomine vices Apostolicas gerere videaris. Peruenit sane ad audientiam nostram, quod quidam simplices Sacerdotes apud Constantinopolim ea Sacramenta præsumunt fidelibus exhibere, quæ ab Apostolorum tempore rite fuerunt solis Penitentibus reseruata: vt est Sacramentum Confirmationis, quod chrismando renatos, soli debent Episcopi per manus impositionem conferre, ad excusandas excusationes in peccatis, & sui erroris fomentum solam consuetudinem præcedentes, cum diuturnitas temporis peccata non minuat, sed augmentet, quæ tanto grauiora existunt, quanto infelicem animam diutius detinent alligatam. Volentes igitur hæc, & alia, quæ oculos diuinæ maiestatis offendunt, de agro Dominico extirpati, discretionis tuæ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus omnibus Latinis Presbyteris, apud Constantinopolim constitutis, districte prohibeas, ne talia de cetero sua temeritate præsumant: quæ licet non sint a fidelibus contemnenda, tutius tamen est ea sine periculo, ex necessitate, quæ legem non habet, ommittere, quam vt ab his, quibus ea conferre non licet, ex temeritate, quæ lege damnatur, non sine graui periculo inaniter conferantur: cum vmbra quædam offendatur in opere, veritas autem non subeat in effectu. Alios quoque subiectos tuos, & ab illicitis reuocare satages, & ad facienda bona verbo, & exemplo pariter inuitare, quibus quales pro te literas destinemus, ex rescripti nostri ferie perpendere poteris euidenter.

Datum Laterani 16. Kal. Decemb.

DE-

DECRETVM EUGENII PAPÆ III. In generali Concilio Florentino, in Bulla instructionis Armenorum §. secundum Sacramentum est, in quo sic traditur.

SECUNDVM. Sacramentum est Confirmatio, cuius materia est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientia, & balsamo, quod odorem significat bona fama per Episcopum benedicto. Forma autem est; Signo te signo Crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Ordinarius minister est Episcopus. Et cum ceteras vinctiones simplex Sacerdos valeat exhibere, hanc non nisi Episcopus debet conferre, quia de solis Apostolis legitur, quorum vicem tenent Episcopi, quod per manus impositionem Spiritum Sanctum dabant, quemadmodum Actuum Apostolorum lectio manifestat. Cum enimaudissent (inquit) Apostoli, qui erant Hierosolymis, quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum, & Ioannem: qui cum venissent, orauerunt pro eis, vt acciperent Spiritum Sanctum. Nōdum enim in quemquam illorum venerat, sed Baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum. Lo co autem illius manus impositionis, datur in Ecclesia Confirmatio. Legitur tamen aliquando, per Apostolicæ sedis dispensationem, ex rationabili, & urgente admodum causa, simplicem Sacerdotem, chrismate per Episcopum confecto, hoc administrasse Confirmationis Sacramentum, &c.

Decretum facti generalis Occumenici Conc. Trid. sess. 7. de Sacramentis, vbi de Confirmatione canone. iii. ita diffiniuit.

Si quis dixerit §. Confirmationis ordinarium ministerium non esse solum Episcopo, sed quemuis simplicem Sacerdotem, anathema sit.

Professio orthodoxa fidei a Græcis facienda iussu fel. re. Greg. Papæ xiii. edita. fo. l. 253. suora.

HABITVS CLERICALIS.

PRÆTER Summissas sciendum est, quod clerici beneficiati, & in sacris constituti tenentur incedere in habitu, & tonsura ex decreto Conc. Trid. sess. 24. de refor. cap. 6. alii vero in minoribus constituti non beneficiati cogi nequeunt Abb. in capitul. sin. de cler. coniug. sed si volunt gaudere priuilegio fori oportet, quod deferant habitum, & tonsuram, & seruiant in diuinis & etiam si sint coniugati, ex Concil. Trid. sess. 23. de refor. c. 6. & cap. 17. in fine, extat insuper hodie cōstitutio Sixti Quinti, de habitu, & tonsura per clericos seu milites beneficia vel pensiones obtinentes deferendis, & penis cōtra inobientes inflictis publicata Romæ die 18 Ianuar. 1589. incip. Cum Sacrosancta, & infra. Hac nostra perpetuo valitura constitutione præcipimus, & mandamus, omnibus, & quibuscūq; clericis non solum in sacris sed etiā in alijs minoribus ordinibus constitutis, & clericali tantum tonsura insignitis, & nedum beneficia ecclesiastica qualiacunque etiam simplicia nunc, & pro tempore obtinentibus, & in illis vel ad ea ius habētibus, verum etiam pēiones super quibusuis fructibus, redditibus, aut prouentibus quarumuis Patriarchalium, Primatialium, Metropolitanarum, Cathedralium,

Z 3 & alia-